cor. xv. Sicut in adam omnes moriunt² ita
et in christo omnes viuificabuntur/ ꝓpter
quod digne conuenit isti puero hodie hie=
sus nominato promissio et donatio eterne
hereditatis que est in futuro seculo cuius
ipse est pater. Et hoc bene conuenit ei tri
plici iure. ꝺ Primo quidem iure natu=
ralis dominij quia est verus heres et na=
turalis filius dei patris. Et ideo sibi com=
pedit hereditatem paternam possidere et
cui voluerit erogare. Secundo iure triū=
phalis stipendij quod est triumphator vi=
ctoriosus qui s͡ʒm apostolum ip̄m tirannum
qui habebat mortis imperiū supauit et ho
minem de eius potentia liberauit. Ter=
cio iure singularis priuilegij. quia iste puer
virtute ꝓpostatice vnionis vsq͡ʒ ad gloria͡ʒ
paterne maiestatis conscendit vt scribitur
dañ. vij. Et ideo data est ei gloria/ regnum
et honor/ et omēs populi tribus et lingue
seruient ei De hac potestate ipsemet glo=
riatur. mar. vlti. Data est em̄ mihi omīs po
testas in celo et in terra/ Vnde ip̄e inuitat
nos filios suos ad huiusmodi hereditatem
assequendā per p̄s. dicens/ Venite filij au
dite me timorem domini docebo vos quo=
modo sc͡ʒ timore hereditatem vestram asse
quimini/ Ipse est em̄ inicium sapientie et si
cut paradisus benedictionis vt dicit² eccl.
iiij. Ad cuius hereditatis assecutionem ip̄e
docet nos in euangelio presens seculū con
temnere/ et ad futurum seculū vbi heredi
tas nostra est semp tendere. ioh. xij. Qui
odit animam suam in hoc mundo in vitam
eternam custodit eam et hoc etiam ip̄e do
cuit ioh. xvi. Ego relinquo mundū et vado
ad patrem Sextus effectus hui⁹ nomīs
hiesus attendit² in beata fruitione quo im
portat hoc nomen princeps pacis. Et hic
effectus relucebit quando ip̄e hiesus intro
ducit nos in hierusalem celestē vt dicit glo
sa/ Vbi faciē maiestatis nobis offert nos
omnino reconciliando sibi et angelis et ho=
minibus/ Et hoc erit cum tradiderit regnū
deo et patri. id est. cum perduxerit creden
tes ad contemplatōnem dei patris vbi est
summa pax et requies sempiterna s͡ʒm au=
gustinū super eodem verbo apostoli. j. cor.
xv. Quā pacem ⁊ requiē nobis donare di=
gnetur ⁊c.

.xxxv. De epiphania dñi Sermo pri.

Vbi est qui natus est
⁊c. Math. ij. In
verbis istis magi quat
tuor de christo confi
tentur Primo re=
centem natiuitatem
Cum dicunt/ Vbi est
qui natus est Se=
cundo sublimem au=
toritatem Ideo dicunt rex iudeorū Ter
cio prodigij nouitatē/ Idō dicunt vidim⁹
stellam eius in oriente Quarto promptā
obsequendi voluntatem/ Ideo dicunt/ Et
venimus adorare eum Vnde dicit augusti
nus O beati magi qui ante conspectū cru=
delissimi regis priusq͡ꝫ christū agnoscerent
christi facti sunt confessores ꝺ Omissis
ceteris solum de primo agemus cū dicitur/
Vbi est qui natus est/ Vbi tria consideran
da occurrunt Primo qui verbum istud di
xerunt q͡ꝫ magi Secundo quibus dictum
fuit quia iudeis Tercio de quo dictū fuit
quia de xp̄o Si primum considerare vo=
luerimus inuenimus in eis mlta comēdan
da Si secundū inuenimus multū vitupan=
da Si tercium multa admiranda Quan=
tum ad primū in magis sunt sex commēdan
da fuerunt em̄ corde veraciter credentes
Ore veritatem veraciter profitentes et p̄=
dicantes sua largiter conferentes/ Consi=
lio acquiescentes/ Spiritu feruētes et hu
militatem in omnibus obseruantes/ Isti
sunt sex gradus quibus ascendit² ad thronū
salomonis. iij. reg͡ʒ. x. Per istos sex gradus
oportet nos ascendere si ad thronum veri
salomonis id est christi volumus ascendere
Primo oportet vt homo firmiter credat
hebr. xj. Oportet accedentem credere ibi=
dem/ Sine fide impossibile est ⁊c. Isti re=
ges firmiter credebant/ q͡ꝫ si non credi=
dissent nunq͡ꝫ de tam remotis partibus ad
uenissent et fidem suam misticis muneribꝰ
ꝓtestati fuissent/ sc͡ʒ auro regem/ thure de
um/ mirra mortalem/ Scdō oportet vt
homo fidem suā quam tenet corde confite
atur ore/ Non em̄ sufficit ad salutem q͡ꝫ ho
mo credat corde nisi tempore necessitas fi
dem suam confiteatur ore. hebr. xj. Corde
credit² ⁊c. Glosa. Ibi veritas credenda est
et loquenda/ sed pauci sunt tales/ Isti re=
ges fidem suam ore professi sunt/ Et forte
tamē bene sciebant q͡ꝫ hoc herodi regi de=
beret displicere/ Vbi est inquiunt qui na=
tus est rex iudeorum/ Sic etiā martires in
ter tormenta iminentia fidē quā corde te=
nebant ore confessi sunt/ Et subiūgit glo.
Pene omnes qui xp̄m coram ꝑsecutoribus

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-v-105/0070
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt